Morbio 27 (57)

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

ALEXANDER, PP. VII

Dilecti filij Salutem et apostolicam benedictionem, Spirituali consolationi uestrae quantum cum Domino possumus benignè consulere, vosque specialibus fauoribus et gratijs prosequi uolentes
et à quibusuis excommunicationis suspensionis et interdicti alijsque ecclesiasticis sententijs censuris et poenis à iure uel ab homine quauis occasione uel causa latis si quibus quomodolibet innodati
existitis ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes et absolutos fore censentes supplicationibus uestro nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati
Vobis qui ut asseritis Loci de Montevecchio Iurisdictionem temporalem in eo exercentes Mediolanensis dioecesis Comites seu Domini in temporalibus existitis et insimul habitatis ut in priuatis domorum
uestrae habitationis in Ciuitate et dioecesi Mediolanensi existentibus oratorijs ad hoc decenter muro extructis et ornatis seu extruendis et ornandis ab omnibus domesticis usibus liberis
per Ordinarium loci prius uisitandis et approbandis ac de ipsius Ordinarij licentia eius arbitrio duratura unam missam pro unoquoque die et dummodo in eisdem domibus
celebrandi licentia quae adhuc duret alteri concessa non fuerit per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum Saecularem seu de Superiorum suorum licentia
regularem, sine tamen quorumcumque iurium parochialium praeiudicio ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, et Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi alijsque solemnioribus
anni festis diebus exceptis in uestra ac familiarum uestrarum praesentia celebrari facere liberè et licitè possitis et ualeatis ac quilibet uestrum possit et ualeat, apostolica auctoritate tenore praesentium
concedimus et indulgemus, Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrarijs quibuscumque, Volumus autem quod familiares seruitijs uestris tempore
dictae missae actu non necessarij ibidem missae huiusmodi interessentes ab obligatione audiendi missam in talibus diebus festis de praecepto minime liberi censeantur. Datum Romae
apud Sanctam Mariam maiorem sub Annulo Piscatoris die XXVij. Ianuarij MDCLXI. Pontificatus Nostri Anno Sexto

S. Ugolinus

Dilectis filijs Josepho hieronymo, ac Carolo
Panigarola nobilibus Mediolanen. Dioc.

XXIX, 278

Morbio 27 (57)

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1873409249-18/fragment/page=0002